

De Gula quarto capituli peccato.

Gula, ut est vnum de septem peccatis capitalibus, sic definitur. Gula est appetitus inordinatus edendi, seu concupiscentia delectationis in cibo, & potu. Dixi (appetitus, seu concupiscentia) quia Gula principaliter esse dicitur circa passionem animæ, ideo tale peccatum non consistit in actu simpliciter exteriori, scilicet comedere delectabiliter; potest enim homo in cibi sumptione delectari, & illum cum auiditate fumere sine peccato, quod accidere potest, vel ex magna fame, & siti, quam patietur, quæ cum pertineant ad vegetatiuæ virtutis appetitum, in eo non est peccatum, neque virtus; vel ex qualitate cibi, causantis illam naturaliter, & consequenter, neque erit peccatum: tunc autem in sumptione, & delectatione cibi peccatum esse potest, quando illa ex cibi, & potus inordinata concupiscentia procederet, non enim delectatio, vt delectatio, sed electio ad delectationem, peccatum est. Dixi (inordinatus) Gula enim non dicit quemlibet appetitum edendi, & bibendi; alias vix sine peccato homo comedere posset: potest enim cibum delicatum appetere, dum est conualescens, aut stomachus, vt roboretur, aut appetitus excitetur, vel dum studet, prædicat, aut legit, vt laboribus resistat, & mereri: sed dicit appetitum inordinatum; tunc autem appetitus erit inordinatus, quando deuiat ab ordine rationis, in quo ordine consistit bonum virtutis moralis, & intantum est peccatum, in quantum est contra hoc bonum virtutis. Talis appetitus, seu concupiscentia, cibi & potus potest esse dupliciter inordinatus, vno modo in quantum excludit ordinem vltimi finis, & tunc erit peccatum mortale, vel per respectum ad ea, quæ sunt ad finem, & tunc erit veniale: tunc autem concupiscentia cibi erit inordinata, respectu eorum; quæ sunt ad finem, quando homo, quamuis appetat lautè comedere, aut nimis curiose se habeat in præparatione cibi delicati, aut bene conditi, non tamen, per hæc a regula diuina deuiare intendit, aut contra aliquod præceptum, facere, aut Deum quomodolibet offendere, sed tantum per ea erit quodammodo negligens, circa necessaria, & deficit in voluntarijs, distrahendo se a deuotionibus solitis, & similibus, quæ omnia, cum non repugnent charitati, non sunt plusquam venialia: tunc vero talis appetitus, seu concupiscentia finis vltimi ordinem excludit, quando homo adeo affectatè in sumptione cibi, & potus se delectari eligit, vt totum finem suum in illo ponat, vnde quidquid cogitat, quidquid loquitur, totum est crapula, quidquid facit, totum ad ventrem dirigit: de quibus dicitur. Quorum Deus venter est. Vel quando desiderium edendi, ita est immoderatum, vt non curaret proximum offendere, vt Gula fatisceret: vnde si vider aliquod opimum comestibile, illud proximo surripere vellet, aut nunquam quiescit, donec illud emat, etiam si non indigeat, omne necessarium, & sibi debitum relinquere non curando, vel vt prædium lautum sibi præparet, missam die Dominico audire omitit: vel, vt quotidie epuletur, Dei & Ecclesiæ præcepta contemnit: vnde vigilias, quatuor tempora, & quadragesimam obseruare non vult, vel, vt volupuose & bacchanalia viuat, totum, quod habet, expendit, subtrahendo necessaria, quibus tenetur, & opes dissipando, filios in extremam miseriam conducit: in omnibus his, & similibus legem Dei, qui est vltimus finis noster, derelinquere contingit, adherendo Gulæ delectationi, tanquam suo vltimo fini.

Huius peccati possunt esse multe species, ut refert D. Gregor. 30. Moralium, *Species gula.* secundum diuersa motiua, quæ voluntatem mouere possunt, ad inordinate appetitum.

*Delectatio
absoluit in
cibo, & po-
tu non est
peccatum.*

*Appetitus
inordina-
tus contra
bonum vir-
tutis.*

*Appetitus
inordina-
tus duplici-
ter.*